

1663 36
27

I. N. J.
DISSERTATIO POLITICA

De
JURE CRE-
ANDI DOCTORES,

P. 379

Quam
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI
M. JACOBI *Wächters* /

Fautoris ac Amici sui plurimum
honorandi,
penitentiam publicè proponit

Auctor responsurus,
PETRUS TIMÆUS, DRESD.

Sereniss. ELECT. SAX. Alumn.
Die XXI. Aug.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN, M. DC. LXIII.



191

e plu-
m. 100.
fit per
3. &
Donell.
s, qui
quasi
onant.
orem
tulus
Juris
litori
bhicè
scri-
no-
is ra-
atio-
c ju-
stari
ectu,
yod
huc
um-
ores
bere
cla-
well.
hac
cur-
rit,



DISSEPTIMUS
JURIS
CIVILIS


ANNO DOCTORIS

M. JACOBI

PETRO HENNING

PROFESSORIS

PHYSICAE



4





// //
100 100

I.

De Jure creandi Doctores in

D Praesens nonnulla edifferturi, ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἡδὲ ἠαθῶν, ut Graecis in more positum quondam fuit, rem ipsam aggrediemur. Quem itaque penes resideat hoc creandorum Doctorum Jus, & à quo in Rep. administratur, non immeritò prima nostra Aegrexis est. Non enim vilis ac inanis Doctoratus honor: sed singularis planè dignitas, multis dotata privilegiis, summa ac maxima est, quæ obtineri à literatis in civitate potest. Proinde summum esse principium oportet, unde tanta dignitas proveniat, confirmetur & custodiatur; quia, ut Metaphysici loquuntur, nihil est in effectu, quod non fuerit in causâ; nec eâ nobilior esse effectus unquam poterit aut potest. Illud ig. non nisi Summus in Civitate Magistratus est, sive omnis, qui τὸ κῆρυξ in Rep. tenet, ut in Monarchiâ Princeps, in Aristocratiâ Optimates, in Democratiâ populus &c.

II. Assertionis nostræ veritas patet r. ex debita Magistratus curâ, quæ circa Reip. salutem occupatur. Hæc n. cum maximâ ex parte in virtutis, artiumq; liberalium honore, incitamento incrementoque consistat; aded, ut civitatè illâ, in quâ maximus virtuti honos non tribuitur, stabilem firmâq; esse neutiquâ posse, Philosophus dixerit l. 2. de Rep. c. 9. ecquid dignitatis hujus collatio Magistratui non incumbat? 2. Ex Majestatis naturâ. Summa n. cum sit potestas, h. e. cum omnes potestates includat, vel, ut Seneca Epist. 86. interpretatur, adjectionem nullam recipiat, hanc

A 2

hanc quoque creandi n^o. Doctores possideat necesse est, nisi idem simul & esse *summum*, & non esse *summum*, ineptissime velimus statuere. Summa n. desinet potestas esse, si potestate creandi Dd. destitueretur; sic n. Princeps non posset in Civitate omnia: sed potestas ejus imperfecta adhuc, ac limitata in se, nec reverà summa esset, quandoquidem jure quòdam *gubernatio* careret. 3. *Ex absurdorum consequentiâ*. Si namque Princeps in regno potestate eâ careret, haberet eam alius, aut *inferior*, aut *superior*, aut *aqualis*. Non *inferior*; unde n. is accepisset, & quo eam obtineret jure? Immo si *inferior*, subditus est; si *subditus*, *ex se*, & *per se* nullam sibi potestatem vindicare potest. Nec *superior*; aut n. ille, aut hic non erit summus Magistratus, quia in unico simplici Civitatis ordine, eodem respectu, duo non possunt esse summa. Nec *aqualis*; sic enim duæ in Rep. essent Majestates, quarum tamen neutra summa foret potestas; quia neutra tum supra omnia, nec absoluta est, cum in re quadam communi neuter quicquam insciò aut invito facere altero possit; quod S. tamen potestatis natura postulat. Sequeretur etiam exinde realis Majestatis divisio, adeoq; Majestas, quæ totum aliàs potestativum est, juribus suis, tanquàm essentialibus partibus constans, totum quid amplius non remaneret, immò ne Majestas quidem esset. Nam unicâ saltim *totius* parte subtractâ, natura ejusdem *quæ talis*, s. *comlis* destruitur. 4. *Ex ipsâ Doctoralis promotionis formâ*. Create n. Doctores non nudè significat, summos alicui in Facultate aliquâ tribuere titulos ac honores: sed *privilegiorum* insimul concessionem, eorumque aequè ac titularum confirmationem ac defensionem infert. Hæc v. *potestatis legislativæ* partes sunt, adeoque creandi Dd. Jus non nisi S. Magistratui est assignandum. 5. *Ex ipso actu exercitio*, s. *quotidianâ experientiâ*. Ipso n. exercitio, cum mediato, tum immediato, nullo prorsus id averfante, ostenderunt satis hæcenus Imperantes, potestatem ejusmodi dignitates ac titulos conferendi sibi solis, ac suæ Majestatis amplitudini accensendam esse. *Bartholomaum Beziium Tyrolensem, Oratorem ac Legatum Cas. ad Portam Ottomanicâ,*
à Ru-

à Rudolpho II. Imperatore ipso Doctorem Juris renunciatum esse, tradit Laurentius Obm. de Jur. Episc. th. 17. lit. t. Mediatè verò, auctoritate tamen S. Magistratus; in Doctores qui promoti sint, eorum referre exempla, necesse non est, cum illa in vulgus lippis etiam atque tonforibus nota sint.

III. Sed in Rep. *Mistà* quæ ratio, & penes ibi quem potestas creandi Doctores sit posita, difficilior solum quæstio videtur. De *mistione extrinsecâ*, quæ *administrationem* solummodò concernit, si sermo sit; ab antea dictis diversum ne quicquam hic statuimus. Reipsâ n. & quoad *χρῆσι* Jus nostrum penes Supremum manet, non obstante, quòd quoad *χρῆσι* ab alio quodam administraretur. Sed ubi *intrinsecâ* habetur *mistio*, quoad ipsum puta *imperium l. statum*, consideranda *pacta* sunt, quæ vulgò *leges fundamentales*, alii *Recessus Imperiales* vocant, atque ex illis, tanquam ex profundo Democriti puteo, veritas trahenda. Tumq; testabitur experientia; sicuti alia Majestatis jura quoad *existentiam* divisa nonnunquam sunt, diversisque *subjectis* conveniunt, etiam si omnia in unâ saltim Rep. & quoad Majestatis *essentiam* indivisa sint; sic quoque nostrum Jus quibusdam in Civitate superioribus competere, quibusdam non; per & propter *intrinsecam* *mistionem*. Cùm a. in *actû signato* disputandum nobis hic sit; ideoque de hac l. illâ Rep. in *specie* quòd non agantius, veniam facillè sumus impetraturi.

IV. Quoniam verò sacræ illæ personæ moderari cuncta, quæ terrarum suarum continet ambitus, solæ non valent, suis stipantur *ministris*, quos in ministerium adsumtos, certis præfese muneribus jubent. Quoad nostri Juris exercitium vice S. Principis funguntur plerumque *Decani Collegiorum* in Academiis; & extra eas, *Comites Palatini*; quibus utrisque potestas promovendi Dd. à S. Principe *cumulativè* quidem concessa est, sic tamen, ut eorum promotio tantundem, quantum ipsius Principis, valeat. Quod quis n. per alium facit, id per se fecisse putandus est; & secundum JCtos, quæ acta gesta que sunt à procuratore Casaris, sic ab eò comprobantur, atque si sint ab ipso Casare gesta. Quicquid tamen Academiæ & Comites Palatini hoc

ni hoc in negotio agunt, id omne ministerialiter ac dependenter, ex indultu & auctoritate Principis, cujus hac in re personam ferunt, praestant. Penes hunc n. potestas illa *πρότως*, radicaliter, ac per se manet; etsi sit penes alios *δευτερος*, per concessionem, ac dependenter; nec n. ista communicatio est privativa. Nimirum quod in humano corpore anima est, id in Rep. Princeps; quemadmodum n. membrorum functiones à solâ proveniunt animâ ac reguntur: ita potestates aliae omnes in eo subsistunt unice, ac dirigente ipso vim suam exerunt.

V. Patet hinc, ferendam nonnullorum sententiam planè non esse, quòd, à Comitibus Palatinis qui creentur, & Bullati aliàs dici solèant, *Doctores*, pro talibus non sint agnoscendi. Enimverò fuit hoc ex eo, quòd indignis saepenumero, & absque tantâ circumstantiarum pompâ, à Comitibus Palatinis honorem istum conferri existiment; unde apud *Melandrum* l. i. joco inferior. tales in eos compositi versus leguntur:

*Doctorem te Bulla creat; tibi Bulla decori
est;*

Bulla tibi vires, Bulla parit titulos.

Sed caveas, ne bulla minus te forte perennet:

*Bulla homo es, Et Doctor bulla: quid
ergo tumes?*

At v. id ipsum seculi vitio contingit; adeoque usus ab abusu, jus de temerario facto secerni debet. Quod si igitur Candidatus bonis sit moribus, & eruditione probè instructus, idq; exploratum Comiti Palatino per examina prævium fuerit, quod adhibitis Doctoribus aliis, plerumque tribus, præmittere apud nos Diploma Casareum jubet; nihil est, cur l. honore, l. privilegii aliorum Doctorum ipsi interdicere queamus. Nec n. alia Comitum Palatinorum, alia Aca'demiarum potestas est: sed
utraq;

utraque eadem *formaliter ac ratione sui*; utut diversa sit *materia*, ac *ratione subjecti*, cui à Principe est communicata; aut *accidentaliter & ratione solemnitate*, quæ utrobique pro more adhibentur.

V. I. Circa *Decanos* quoque moveri dubium solet, an *Decanus*, qui *Doctor non est*, *Doctorem tamen creare possit*? Si consuetudinem, quæ pro lege habetur ut plurimum, respiciamus, fieri illud non solet. Verùm *absolutè loquendo*, non ineptè affirmaretur quæstio. Prob: (1) *ab ipsò Promotionis Doctoralis principio*. Supremus Brabcuta Princeps est, omnis honoris publici inter mortales fons & origo: inde ad Decanum q̄s. fluit brabcutum, atque per eum alicui digno ac satis merito conferitur. *Materialis* proinde & *accidentalitè* Decani conditio est, si & ipse sit *Doctor*: *formaliter* n. Decanus *Doctorem* creat, non *quà Doctor*, sed *quà Decanus*; adeoque creare *Doctores non Doctorale* est, sed *Regale*. (2) *Ex falsà consequentiâ*: Etenim si *Doctor*, ut *Doctor* conferre honores posset, sequeretur, non id *Jus Decani* competere soli, sed quoq; aliis *Doctoribus*, quod oppidò falsum esse, & *χούτης λιμῶντες* animadvertent. (3) *A simili*. Comites Palatini etiam *Doctores* creant, quales tamen & ipsi pleriq; non sunt: eecur itaq; non idem *Decani in Academiis* poterunt, quia eandem cum illis potestatem habent? *Jus* n. illud utriq; eodem modo competit. *Absolutè* tamen & *in abstracto* quæ loquimur, non ea *respectivè* aut *particularitè* intellecta, atque ad eas fortè *Resp. accommodata* volumus, ubi *receptus mos ac instituta Principum* aliud jubent, quandoquidem totum hoc negotium ex libero Principis arbitrio dependet.

V. II. Montrato itaq; cum *principali*, tum *instrumentali* *Juris* hujus *subjecto*, non abs re quæritur porrò, *justanè ac legitime* sit *Juris illius administratio*? Carolstadius olim, secessione à Theologis VVittebergensibus factâ, non amplius *Doctor*, sed tantum *Frater* vocati *Andreas* voluit. Antea quoque cum *Job. Westermannum*, & *Goscalcum Grapium* renunciâisset *Doctores*, testatus publicè est, posthac ulterius nemini collaturum se *Gradum* esse, eò quòd *promovendo alios in Doctores*, sciens
pecca-

peccaret contra interdictum Christi, *Matt. 23. v. 8. Nolite vocari Rabbi.* Zvynglius etiam in Resp. ad epistolam D. Bugenhagii scribit, cum fastidio se legere titulos: *Doctor & Professor Theologia.* Rudolphus deniq; Gualtherus præprimis titulum Doctoris Theol. sublatum ixit; *insolentia* arguens eos, qui titulos magnificos prece & pretio redimant; cum (1) illos electum organon, Paulus *servum Christi* sese appelleret; & (2) Apostoli omnes legitimâ vocatione & Ecclesiæ testimonio fuerint contenti. His conjungendi etiam *Anabaptista* sunt, qui omnem omnino honorem ex Civitate cupiunt exterminatum.

VIII. Antequam v. ad horum respondeamus argumenta, contrarium, legitimam sc. Doctorum promotionem esse, demonstramus 1. *à causâ efficiente principati.* Ipse siquidem *DEUS* fons Majestatis est, adeoque & illius potestatis, quæ circa conferenda eruditus Doctoralia privilegia versatur; totius enim & partis eadē est ratio. 2. *ab æquitate.* Æquū n. ac justū est, ut boni præmiis, mali v. poenis, *pro graduū proportionē* afficiantur. Virtutis a. præmium honor est, teste Philosopho 4. Eth. 3. it 5. Eth. 6. & 4. Eudem. 4. 3. *ab utilitate.* Apud quos n. maxima proponuntur virtutis præmia, in eorum Rep. viri sunt præstantissimi. Thucyd. l. 2. hist. Peloponnes. Nam, secundum *Valerium Max.* alimentum virtutis honor est; & ut *Ovidius* l. 5. Trist. El. 13. cantat:

Non parvas animo dat gloria vires,

Et secunda facit peffora laudis amor.

4. *à simili.* Opifices postquam artificii sui deposuerunt tyrocinia, tantumq; profecerunt, ut exercere ipsamet artem possint, salutantur Magistri, ac majore, quàm discipuli & tyrones honore afficiuntur. Quid igitur obstat, quò minus inter literatos id quoque obtineat, ut, qui alios docere cum fructu possunt, alios etiam dignitate antecedant?

IX. Ad allata adversariorum argumenta, & quidem 1. *in specie* ad Carolstadii objectionem respondent Theologi, committi fall. *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Sicut n. Salvator immediatè annexis verbis his: *Nolite vocare Patrem,* debitum Parentibus titulum non abrogat, hoc n. cum 4. DEI

præ-

præcepto diametraliter pugnaret : Sic etiam nec istis verbis honorum titulos, qui testimonia virtutis sunt, prohibet, sed illud magisterium solum, quo quis pro lubitu decernere & statuere in Ecclesiâ præsumit, reprobat & damnat. 2. *Ad Qualibet object.* 1. Resp. fallere ipsum elencho oppositorum ; quia ipse Apostolus Doctorem gentium a se vocat. Alius namque respectus DEI est, alius respectus hominum : alius spiritualis, alius civilis. *Ad rationem* 2. Resp. 1. peccati ibi *elencho causæ ut causæ.* 2. *Elencho similitum.* 3. dicimus, quod Doctoralis illa promotio sit etiam *publicum quoddam Ecclesiæ testimonium.*

X. Dispicendum tunc *in abstracto*, quidnam Doctoralis gradus sit ; & *subjectivè*, quibus conferri hominibus debeat ? Ille describitur, quod sit *dignitas in qualibet Facultate Suprema, à S. Magistru, & qui ab eo regale hoc obtinuerunt, doctrinâ & virtute excellentib; Viris, multis cum privilegio, solenniter collata, in præmium virtutis ac Reip. salutem.* Ubi cumprimis ex definitione qualicunque notandum, quod *dignitatis* vocabulum, in hoc *Generico* conceptu, non *meritum*, sed *statum* : non *apertitudinem*, sed *amplitudinem* ; eaq; *axiomata omnia* contineat, quæ solent communiter Doctoribus conferri. Eaque quò major est, eò cavendum magis, ut non nisi *dignis* conferatur, ne in contemptum abeat, ac literatorum ocloribus calumniandi ansa usurò subministratur.

XI. Variè a. *dignitas* ista spectatur, & quidem *ratione sexus* ; secundùm quem soli *Viri* Gradus hujus capaces sunt, nequaquam v. *femine*. Philatam equidè incredibili mentis acumine fuisse, perhibet Diodorus ; Corinnam quinquies Lyricæ festivitatis Magistrum, Pindarum superasse ; Catharinam non firmiter solum amplexam Christianam religionem fuisse, sed etiam Philosophos Platonicos confutasse ; alias nostri etiam seculi feminas artibus excelluisse, historia memorant. Veruntamen quò minus dignitatem hanc muliebri tribuere sexui possimus, obstat (1) *naturalis ineptitudo*. Sunt n. imbecillis iudicii, minus graves, ad honesta pavidæ, ad illicita audaces, curiosa, præcipites, absq; auctoritate, & ut Poëta cantat : *Tantiû*

B

constan-

constantes in levitate sua. (2) *Sua humanum*, cujus existat regula: *Femine ab omnibus officiis civilibus, l. publicis, sine remota: quia est illudatum, sexus muliebris pudorem ita perfricari; ut virilitas faciat.* Cunr. VVolf. Reg. Jur. p. 6. Nec officit quicquam Doctorum uxores *Doctorissas* vocari. Titulo n. isto non notatur gradus, aut officium virile: sed *conjugali potius relatione* ne quicquam amplius, praterquam *Doctoris uxor* significatur, ut monet *B. Meisnerus Philos. Sobr. p. i. sect. i. q. 8.* Quoad alias objectiones notandum, non esse h. l. spectandum *τὸ δυνάτον*; sed *τὸ utile*, idque non *ad praesens*, sed *ad futurum*; nec respiciendum ad id, quod *aliquando* fit; sed, quod *ἀπὸ τῶ πᾶν*. Sic ferme stabit nostra assertio.

XII. 2. *Ratione ortus*, ubi parum refert, aut nihil, sive *inquilinus* Doctorandus fuerit, s. *peregrinus*. Nam quia eruditio pariter & mores non nascuntur cum hominibus *habitualiter*, sed acquiruntur demum, ac expoliuntur frequentibus *atibus*; idcirco etiam non tam *ortus*, quam *qualitas* peregrinis quippe quæ ad *fundamentum* honoris illius pertinet, est attendenda. Hoc probè prudentissimi, ponderarunt *Romani*, quos, adhuc florente *Româ*, nullum fastidisse genus, in quo virtus emereret. *Canulejus* apud *Livium* refert. Apud *Athenienses* similiter cuiuslibet virtute probato patebat aditus; scholamque illorum peregrinis tantum inclaruisse, *Plutarchus* in exilio testis est; id quod de *Academia* etiam *nostrâ* asserere non multum dubitavit *B. Jac. Martini*. Polit. p. 254. Peregrinos tamen dum admittimus, simpliciter tales intelligimus: nequaquam v. quat. *hostes, l. haeretici, aut patria forsitan proditores* sunt. Ideoque ex *inquilinis* si qui existant digni, quin quoque praeter ceteris & ad honores, & ad officia promoveri debeant, nullum est dubium. Qui n. *onera ferunt, quidni & premia reportent?* Excell. *Dr. D. VVendeler. Philos. Pr. p. 237.* & peregrinis si benè cupimus, quidni *concernemus*, immò & *posteris nostris?*

XIII. 3. *Ratione natiuitatis*. Non ibi videtur ob stare (1) *Nobilitas*. Praemium n. virtutis est *Doctoralis dignitas*, qua si polleret *Nobilis*, ut etiam pollere debet, cōtra *magnanimitatem*

sem peccaret, si pramium nollet accipere. Pessima consue-
tudinis res est, pramium verè honorificum, sibi jure debitum,
spernere, ac tanquam infame quid, maximo cum Reip. & lite-
rariæ & civilis damno, repudiare. Prodeant in medium D.
Johannes, Dux Megapolitanus; Georgius, Dux Teccensis, Friderici
Teccensis Filius; Otto, Leopoldi, Austria Ducis, Filius; Reichwinus,
Dux Lotharingis, Theol. DOCTORES; VVilhelmus, Dux Geldriae,
J. U. DOCTOR; Hermannus, Hassia Princeps, in Academia Pra-
gensis, summæ Caesaris Caroli IV. & Bobemia Regni congratulatione,
renunciatus DOCTOR seu MAGISTER artium; pluresque, à
Georg. Christoph. VValtbero Tract. de statu, jur. & privil. Doct. p.
595. seqq. recensiti, Comites, Barones ac Nobiles. DOCTORIS
insigniti titulo, ac suo doceant exemplo, quanta Doctoratus
dignitas sit, quanti que ab omnibus omnino æstimanda. Quam-
vis a Doctorali dignitate superior vulgò putetur Nobilitas, nõ
tamen ἀσπλῶς ac universaliter id verum est, sed κατὰ τὴν &
particulariter; in eo nempe Nobili, qui excellentiori officio pu-
blico, aut Principis latere fulget, l. in militia non exiguos de-
meruit honores. Alias si majorum tantummodò imagines
crepat, absque virtute & merito proprio, Doctor non immeri-
tò ei præferatur. Quid? quòd non iisdem privilegiis fruantur
Nobiles, quibus Doctores. Uno itaque modo qui privilegiis
gaudet, si alio modo augeri aliis, tametsi quoq; inferioribus, pos-
sit, non debet spernere.

XIV. Nec obstant (2) illegitimi nates. Quamquam n.
ex Civitatum quarundam requiratur statutis, ut promovendus
in Academia legitimo prognatus toro sit; universaliter tamen
id non valet, exempla que excellentissimorum existant Docto-
rum, ut Joh. Andrea, Bartoli, Jafonis ac Dyni, Jctorum, qui spurii
fuisse dicuntur; neque etiam in Academiis quibusdam tales
reprobantur; ideoque merito affirmamus, posse spurium etiam
Doctorem creari, loquendo abs. intè, & citra specialium decreto-
rum respectum. Prob. (1) ex naturali principio: Suum cuique
tribuendum. Virtuti itaque si debetur honor, non defraudan-
da illa eodem est ob externam, jamq; deletam ferè subjecti sui

maculam. (2) *Ex jure humano.* Parentum vitia ad filios non
pertinent, neque qui tantum passivè particeps sceleris est, id ei
nocere amplius debet, quin poena suos manere debet auctores.
(3) *A bono publico.* Quid n. si veniret usu, spurio quoad animi
dotes nullum in Rep. parem existere, annon addiscere talem,
ac per honorum gradus evehere præstaret, ut publica promo-
veretur salus, quam adsumto eò, qui legitimo gauderet ortu, sed
pari careret virtute, Remp. perdere? (4) *A simili.* Templà, scho-
læ, aliæque utensilia, utut auctores eorum pessimi ac infideles
planè fuerint, in maximo tamen habentur pretio: E. nec spu-
rio dignitatis omnis *absolutè* claudenda janua in Rep. est, si mo-
dò prodesse eidè insigniter queat, ac serio velle præsumi possit.

XV. *Obj. 1.* $\omega\lambda\upsilon\theta\rho\acute{\upsilon}\lambda\lambda\omicron\gamma\epsilon\upsilon$ illud: $\kappa\alpha\kappa\acute{\upsilon}\ \kappa\omega\sigma\epsilon\alpha\kappa$ & $\kappa\alpha\kappa\omicron\upsilon\upsilon$
 $\omega\delta\omicron\upsilon$. Resp. 1. Procedit hoc in *naturalibus*, & *essentialibus*; non v.
semper in *moralibus* & *accidentalibus*; id quod l. è contrario pa-
ter, quòd sepe numero & Heroum filii noxæ evadant. 2. De
spuriis summâ virtute conspicuis sermo nobis est. Nam didi-
cisse fideliter artes, emollit mores, nec sinit esse feros. *Obj. 2.* illud
Plutarchi: *Institut. puer. à princ.* $\tau\omicron\upsilon\varsigma\ \mu\epsilon\tau\epsilon\theta\epsilon\upsilon\ \eta\ \pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma\ \delta\epsilon\iota\ \delta\epsilon\ \upsilon\psi$
 $\gamma\epsilon\theta\omicron\upsilon\sigma\iota\omega\ \alpha\iota\epsilon\tau\epsilon\lambda\lambda\upsilon\omega\tau\epsilon\ \omega\delta\epsilon\kappa\omicron\lambda\upsilon\sigma\tau\epsilon\ \tau\epsilon\ \tau\eta\varsigma\ \delta\upsilon\sigma\kappa\omicron\lambda\epsilon\iota\alpha\varsigma\ \delta\upsilon\epsilon\iota\delta\eta\ \eta\ \eta$
 $\pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma\ \omega\delta\epsilon\ \tau\omicron\upsilon\ \xi\iota\omega\ \kappa\alpha\iota\ \omega\delta\epsilon\chi\epsilon\iota\ \alpha\ \iota\omicron\upsilon\varsigma\ \epsilon\lambda\epsilon\gamma\chi\epsilon\upsilon\ \kappa\alpha\iota\ \lambda\omicron\iota\delta\omicron\rho\epsilon\iota\ \chi\epsilon$
 $\xi\gamma\lambda\omicron\upsilon\delta\iota\omicron\upsilon\varsigma$. Resp. 1. Hæc omnia sunt *ex accidenti*. 2. Confun-
ditur opprobrium *proprium* & *recens*, cum *alieno atq; delicto*: nec
3. attenditur, *de jure* quid fiat, sed quid *de facto*.

XVI. Multò ig. minus *lictorum carnificumq; filii* à dignita-
te hæc sunt semovendi. Licet n. & lictorum & carnificum *no-*
mina odiosa admodum vulgò sint, illud tamen non *ex se*, sed *per*
acc. ex pravâ se. hominum opinione, tum quoque non tam rati-
one illius *officii ex se* & *per se*, quam *ex vitio* talis *subiecti*, accidit.
Et si l. maxime laborarent illi infamiâ, quod tamen nemo con-
cesserit; nihilominus filii eorum *eruditione ac virtute excellen-*
tibus ne quicquam hoc præjudicaret, quippe qui & ipsi melio-
ris longè conditionis, quam *spurii* sunt. Deinde [1] infamia &
ignominia alicui non nisi *propria turpitudine* atque *delicto* ve-
nit. [2] Filius non est subjiiciendus oneri paterno; neq;ve cala-
mitas matris nocere illi debet, qui sub utero est.

XVII. Ex-

XVII. Excipienda tñ. non abs re illa Resp. est, quæ certam constituit legem, quæ tandem causâ, gravi tamen ac utili, fuerit impulsâ, ne l. spurii, l. licitorum & carnificum filii ad gradus honorum publicos evehantur. Ibi statuta obtemperandum merito est, videndumque probè, ne tales promoveantur, antequàm illud jus speciali Magistratus indultu sint consecuti. Facilem v. præbuerit se Princeps, si deprecetur liberi Parentum vitam, suæque propriæ virtuti debita præmia suppliciter petant. Id in Reip. emolumentum, ac virtutis incrementum haud dubiè verget, & æquitati ac magnificentiæ Principis optimè correspondebit.

XIX. 4. Ratione ætatis, quæ justa ac perfecta esse in Candidato debet. Quot a. præcisè requirantur anni, determinari certo non potest. Facultatum n. difereant studia, alterumque majoris laboris altero est: magna insuper & ingeniorum, & in discendo ac docendo methodorum, & successuum diversitas datur. Bartholdus Krakeviz annu agens 20. Doctor Theol. & generalis Superintendens in Pomeraniâ anteriori renunciatus fuit. Nec nobis nostro desunt exempla seculo. Neque senescenti, sed merenti datur corona. Illud nihilominus attendendum, hinc judicant prudentes Viri, ne confirmatis parùm judicio, affectuumque, vehementia adhuc obnoxiiis, nec magis capillis, quàm animo juvenibus dignitas ista tribuatur, ut ne in Reip. damnum, aut ordinis Doctoralis dedecus tanta licentia abeat.

XIX. 5. Ratione religionis; respectu cujus in orthodoxos solummodo Doctura conferenda videtur. Excluduntur proinde non abs re heretici, ac in specie quidem Judæi, quippe quibus nec fundamentum, nec finis Docturæ competit. Est enim, ut ὁ ἄριστος πῶς ἔσται; faciam, Doctura dignitas in Reip. commodè instituta. At v. quis Reip. salutem respicere Judæos credet, qui jurati Christiani Nominis hostes sunt? Data proinde illis Doctura dignitas licentiaque in furientis manu gladius foret ac præsentissima pestis. Tantum itaque debet abesse, ut summa civium felicitas illis credatur, ut potius à Christianâ Civitate

ante longissime removeantur. Deinde Doctoralis gradus fun-
damentum *Virtus* est, à cujus ambitu *pietas* non excludenda.
Sed quis sub sole mortalis deterior ac nequior Judæo? Hinc in-
fames admodum Judæi sunt; ad quos applicari proinde potest,
quod observatum in Facultatis Theol. Moguntinæ statutis est,
ubi hæc leguntur: *Infames &c. quantumq; doctrinâ excellue-
rint, omnino à promotionibus arcemus.*

XX. 6. *Ratione qualitatis.* Hic cum primis requiritur, ut
virtute Doctorandus polleat, eaq; cum *moralis*, tum atque præ-
cipue *intellectuali.* Per virtutem *moralem* probi indignantur
mores. Oportet n. Candidatum esse pium, prudentem, sobriū,
humanum, & virtutibus, quoad fieri potest, omnibus excultū.
Vel, non debet notoriis florere sceleribus, quibus l. aliis detur
scandalum, l. nobilissimo Doctorum ordini macula inuratur,
vel quoq; sceleribus peccandiq; libidini concessis privilegiis
ulterius indulgeatur. Juvandus n. nemo est in impietate. Et re-
cte *Seneca*: Eum elige Doctorem, quem magis admireris, cum
videris, quam cum audieris. *Ep. 35.*

XXI. Per virtutem *intellectualem*, quæ ad dignitatem istâ
formaliter requiritur, excultam & excellentem quandam intel-
ligimus doctrinam s. peritiam, cum interpretandi, applicandi
ac referandi dexteritate conjunctam. Sic Apostolus *Episcopi*
vult esse *δωατὸν τῷ ἑκατέρῳ ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιανσοῦ, ἢ
τῆς ἀντιλήψεως ἐλέγχου καὶ ἑπιστολῆς;* id quod in cæteris
Facultatibus itidem locum habere debet. Et hæc doctrinâ *ab-
solutè de substantiâ* Doctoris est, ita ut Doctor sine doctrinâ nil
aliud sit, quam somnium sine somno, sine opibus dives. *Do-
ctum* etenim non simplex est dignitas, sicut *Nobilitas*; sed in *eru-
ditione* promoti fundatur, & perpetuum ad eam habet respectū.
Magnif. Du. D. Ziegl. disp. 6. de Jur. Maj. eb. 21. Hinc approbatos
semel Doctores, qui ex ignaviâ tamen obliviscuntur, quod di-
eicerant, examinandos iterum, & insufficientes si inveniantur,
reprobandos esse, putat *Tholosanus* l. 18. de Rep. c. 9. n. 10. Gravi-
ter ergo peccarent, turpissimamq; mendacii sibi inuferent ma-
culam, qui promoverent indignum, nec sufficienter doctū, præ-
primis in quò nec certa futuræ diligentæ spes adsit; quia pro-
motio

motio Doctoralis de jure nihil esse debet, quàm publicum de egregiâ promoti eruditione testimonium: immò reos faceret se omnium, quæ inde sequuntur, malorum. Princeps etiã ipse *injurius in Doctorũ ordinẽ foret, si male creaverit, qui nullo suo merito dignitatẽ istam affectet, quia litera non subjacẽnt potestati Principis, ut auda declaratione ex non docto doctum facere possit.* Magnif. Dn. D. Ziegl. l.c. Ideoq; in *Capitulatione Cas.* ad hoc ipsum obligatur Imperator, daß Er Wölle dahin sehen/ daß solche und dergleiche dignitatẽn denen er theilet werde/die es vor andern wohl meritirẽ.

XXII. Expendendum ultimò restat, *quomodo Doctoralis conferri dignitas debeat ac soleat?* De hoc ut agamus ordine, formales totiũs promotionis actus tribus comprehendemus capitibus, ita ut illius antecedentia, constituenta & consequentia proponamus. Quæ antecedunt actum Doctoralem, l. remotius, l. proximus antecedunt. Quæ remotius, tria præprimis sunt: *Petitio, Specimen atq; Examen.* Petitio est, quã Candidatus offert, ac modeste petit honorem, l. immediate, dum ipse petit; l. mediate, dum per Promotorem, l. Commendatorem, l. alium, quemcunq; receptã consuetudo denominat, petit, ut ad edenda eruditionis suæ specimina, consequendumque Doctoris gradum admittatur. Quæ si petitio meruerit locum, sequuntur specimina, suntq; ut plurimum *Oratio, Constitio, cursoria lectio ac Disputatio publica;* prout Facultatis cujusq; statuta, in hac istã Academia, plurali pauciora specimina postulant. Hicn. magna varietas reperitur. Expeditis speciminibus sequitur *Examen,* quod l. *unicum, l. duplex,* tũq; iterum non nunquam *privatum, l. publicũ;* nonnunquam *Tentamen, l. rigorosum,* prout more ac lege receptum est.

XXIII. Quod a. proximus antecedit, est a Decano data *licentia* Doctorum titulum accipiendi; unde *Licentiatum* deinceps dicuntur. In Facultate Philosophicã vicem illius *Baccalaureatus* obtinet, estque licentia ad summum in Philosophiã gradum obtinendum; & confertur *formaliter atq; explicite, l. ante actum* Doctoralem, l. *simul in ipso actu,* prout consuetudo tulerit. Nam obiter ut hic addam, *Magistri* utique *verè ac propriè Doctores in suã Facultate Philosophicã dicuntur;* quia illius respectu ad *altiorẽ honoris gradum* promoveri non possunt, salvã tamen Facultatis cujusq; prerogativã. *Cõtra VV. al. herbũ l. c. aliosq;.* Vid. post *D. Cellarium* in Pol. p. 264. *D. Sitchmanni Speculum Imperii Romani* p. 494. §. 23.

XXIV. *Constituentia* actus Doctoralis *ceremonie* sunt l. *solennia,* quæ in denunciando Doctore, *juxta præscriptas leges* adhibentur. *Abstractissime* tamen loquendo, *formalis actus* in Doctorali *denunciatione* consistit; dũ sc. Decanus ex potestate sibi concessã, *publicè, ac à Principe sibi præscripto modo,*

modo, quendam Doctorem renunciat, creat, salutatur, ac Doctoralium privilegiorum participem declarat. Tum n. *Decani* vox ipsius *Principis* vox est; ejusque renunciatio *Principis* declaratio, ab omnibus merito rata habenda. Nec v. frivola sunt ista, quae hodie in promoti nibus frequentantur, solennia sed unumquodque eorum significativum est dignitatis concessa, & l. idco retinendum, quod veluti *charakterem* quendam spectatoribus imprimat. *Magnif. Dn. D. Ziegl. l. c. th. 16.* Immo v. generibus propè omnibus commune semper fuit, in plerisque actibus legitimis ritus quosdam adhibere; cum, ne magni momenti res ea, *καπέργα* ac perfunctorie viderentur facta: tum etiam ut admonitiones utiles & necessariae de faciendo officio hominum animis per signa illa imprimerentur. Non tamen necesse est, ut ubique eadem per universas Academias observentur ceremoniae, cum *juris positivum* illa sint, & *potestati legislatoria* quoad ipsam suam *substantiam* succumbant. *Id.* Ex his a quibus hic adhibentur, praecipuae sunt: *Cathedra adscensio, libri traditio, bireti impositio, annuli affixio, osculum & faces.* Alibi aliae solent observari ceremoniae, quas persequi omnes non fert instituti nostri ratio, nec chartae angustia capit. Significationes earundem legi possunt apud *VValtherum & Sibmannum* II. cc. nec non apud alios.

XXV. *Consequentia* tandem actus Doctoralis 4. plerumque sunt; 1. *Votum* quod subnectitur à Brabeurâ. 2. *Gratulationes* amicorum & Clientum, quae l. scripto, l. viva voce fiunt. 3. *Munerum distributio*, quae Professoribus & invitatis hospitibus Promoti nomine offeruntur; 4. Denique *convivium Doctorale* est, quod splendide ac laude instituitur, & *magnificentiam* novelli Doctoris quam maxime decet; quippe quod opus fieri semel tantum per vitam consuevit; ac forditici est, in rem *tantam* magnam minutos sumtos impendi.

XXVI. Referenda ultimo tandem huc sunt *Tempus & Locus*, quibus actus illi celebrantur. *Tempus* ferme indifferens est, potestque actus iste tam festis, quam profestis institui diebus; quomodo *Alors* in festo Petri & Pauli, Universitatis illius natali, plerumque actus Doctoris instituitur, si quidem occasio ferat. *VValth. l. c. p. 95.* *Talis* tamen *καθ' ἐξουσιον* & hic loci est respicienda. *Locus publicus* est, ut Collegia facultatum, aut etiam templa ecclesiastica, uti hic & alibi locorum mos obtinuit. *Id.* a. non adversatur verbis Christi: *Domus mea, domus precatiois est.* Nam in ejusmodi actibus sacris & publicis preces l. maxime ad Deum funduntur, omniaque ad Dei gloriam & Ecclesiae salutem tendunt. Si quid indecori à spectatoribus fiat, *ex acc. fir.* ac merito improbatur.

TANTUM.

ULB Halle
002 618 818

3





SB

8

VDA







1663 36
29

I. N. J.
DISSERTATIO POLITICA

De
JURE CRE-

ANDI DOCTORES,

P. 279

Quam
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI
M. JACOBI Wächelero /

Fautoris ac Amici sui plurimum
honorandi,

penitentiam publicè proponit

Auctor responsurus,

PETRUS TIMÆUS, DRESD.

Sereniss. ELECT. SAX. Alumn.

Die XXI. Aug.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN, M. DC. LXIII.

171

